

PIETRO BEMBO

CARMINA (1209 vers)

## PASTORUM CHORUS

C\_1 v.1 Pastores tua turba te rogamus,  
 2 seu tu nomine Pan arundinator,  
 3 seu Faunus dubii potens futuri,  
 4 barbatus capripesque cornigerque,  
 5 seu malis, Pater, Incubus vocari :  
 6 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 7 En jam ver reedit et dies rebellem  
 8 paulatim sibi vendicat teporem ;  
 9 jam collis viret et sinu soluto  
 10 florentes tibi porrigit genistas.  
 11 Pastores tua turba te rogamus,  
 12 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 13 Nunc annus puer et tenellus orbis ;  
 14 nunc sol purior et colora tellus ;  
 15 nunc ludit Venus alma, nunc sorores  
 16 festas Gratia poscit ad choreas.  
 17 Pastores tua turba te rogamus,  
 18 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 19 Novum montivagae thymum capellae  
 20 tondent, et cytisi comam arbutique  
 21 pascunt purpureos oves per agros,  
 22 et pugnam cupidi cient mariti.  
 23 Pastores tua turba te rogamus,  
 24 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 25 Nunc o nunc opus est, Pater, volenti  
 26 aspire genio, et gregem revisas,  
 27 dum liber stabulis : tibi dicatum  
 28 ne qua sors populum gravis fatiget.  
 29 Pastores tua turba te rogamus,  
 30 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 31 Tu fures, avidum genus, coerce ;  
 32 tu morbos abige atra saevientes ;  
 33 tu bellum jubeas, bonus, famemque  
 34 ignotis procul exulare terris.  
 35 Pastores tua turba te rogamus,  
 36 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 37 Defendat saturas nemus capellas ;  
 38 fida non egeant oves canum vi ;  
 39 audaces lupus inter erret agnos,  
 40 cumque haedis Libyci accubent leones.  
 41 Pastores tua turba te rogamus,  
 42 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 43 Absit fraus scelerum comes, suoque  
 44 se livor miser imbuat veneno ;  
 45 et lis cedere discat, et solutam  
 46 devinctus metuat furor quietem.  
 47 Pastores tua turba te rogamus,  
 48 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 49 Sit pax candida, sit beata, plena

50 pomis copia frugibusque cornu :  
 51 qualis cum positum recenter orbem  
 52 Saturnus Jove sanctior regebat.  
 53 Pastores tua turba te rogamus,  
 54 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 55 Audis nos, Pater ? An novam per agros  
 56 suspiras Venerem et preces recusas ?  
 57 Ah cur nos fugis ? Hi tui poetae :  
 58 haec olim tibi ducitur chorea.  
 59 Pastores tua turba te rogamus,  
 60 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 61 Scimus quid sit amor, quid obstinata  
 62 defigi tacitum jecur sagitta ;  
 63 adsis tu tamen, ipse dum laboro  
 64 coepti carminis explicare pensum.  
 65 Pastores tua turba te rogamus,  
 66 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 67 Et ver pulvereum, humidam et vehat sol  
 68 aestatem pecori laborioso ;  
 69 neu laxent pluviae, vel impotenti  
 70 sidus ubera comprimant calore.  
 71 Pastores tua turba te rogamus,  
 72 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 73 Tum fons vitreus, et perennis unda  
 74 festinans placido sonet susurro,  
 75 quo sitim veniat, meridiemque  
 76 umbrosa pecus elevare ripa.  
 77 Pastores tua turba te rogamus,  
 78 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 79 Gregi haec poscimus : at gregis magistros  
 80 praesens perpetua leves juvena,  
 81 quam lusus comitetur et voluptas  
 82 et nudos Venus osculans amores.  
 83 Pastores tua turba te rogamus,  
 84 nos et res tueare, Dive, nostras.  
 85 Sic te nec fatuae petant puellae,  
 86 nec Nymphae fugiant meticulosae,  
 87 dum fessae gelidi nemus Lycaei,  
 88 et gratum tibi Maenalon revisunt.

FAUNUS AD NYMPEUM FLUVIUM. FICTUM PRO ANTIQUO

C\_2 v.1 Quid tibi nobiscum est, fluviorum infamia, Nymphheu ?  
 2 Flecte alio cursus, perniciose, tuos.  
 3 Flecte procul, removeque meo vestigia luco :  
 4 impurum sacra non decet ire via.  
 5 Quantum Baianas fregit lascivia villas,  
 6 criminis articulus parsque pusilla tui est.  
 7 Huc veniunt mixtae pueris de more puellae,  
 8 inque tua, posita veste, natatur aqua.  
 9 Lusibus interea duxisse procacibus horas  
 10 nequitiaque juvat continuare diem :  
 11 cumque libet, mediis passim junguntur in undis,  
 12 lascivum femori conseriturque femur.  
 13 Tu tamen haec pateris, nec te mea numina tangunt,  
 14 ante oculos fieri turpia probra meos.

15 Quin etiam si quid specto, et spectare necesse est,  
 16 illi se improbius liberiusque petunt,  
 17 permolitur pueroque puer, pactique vicissim  
 18 obscaenos agitant nostra sub ora modos ;  
 19 meque vocans uda media inter suavia lingua,  
 20 crissat ab imposito fixa puella mare.  
 21 At mihi tum mediae saliunt tentigine venae,  
 22 surgit et in cornu spina recurva suum.  
 23 Omnia sed parvi facerem tamen : hoc mihi magno est,  
 24 hoc dolet, hoc aequa non ego mente fero :  
 25 adsueti longa cum sint in crimina culpa,  
 26 concubitus fugiunt qualibet arte meos,  
 27 sive Lycam puerum coepi mollire precando,  
 28 seu tacitus, qua se fert Telesilla, sequor.  
 29 Ille preces non audit amantis, at illa sequentem  
 30 praevolat, et tardum ludit, ut aura, senem.  
 31 Non tu parva meo praebes alimenta furori,  
 32 amnis moeche, et vos insidiosa vada :  
 33 nam neque nos olidi vincunt pruritibus hirci,  
 34 nec sum Lampsacio castior ipse Deo.  
 35 Quod si me Cybele curat justissima mater,  
 36 quam penes est bruti fasque nefasque soli,  
 37 invisi latices fundo pereatis ab imo,  
 38 vosque petant sicci trajiciantque pedes.

#### FAUNUS AD NYMPHAS

C\_3 v.1 Dicite cur nostros, Nymphae, fugiatis amores :  
 2 quid Faunus, quo sic despiciatur, habet ?  
 3 Cornua si mihi sunt, sunt et sua cornua Baccho :  
 4 inque sinus vocat hunc Cressa puella suos.  
 5 Ignea si frons est, an non frons ignea Phoebos est ?  
 6 Hoc tamen est Clymene facta parente parens.  
 7 Barba riget suffusa genis ? Dedit improba saepe  
 8 oscula barbato Deianira viro.  
 9 Intonso densoque tegor praecordia villo ?  
 10 Nil ideo Marti est Ilia questa suo.  
 11 Capripedem arguitis : quid claudos turpius ? At tu  
 12 nupsisti claudos, Cypria pulchra, Deo.  
 13 Denique si qua meae pars est non bella figurae,  
 14 exemplum a caelo, quod capiatis, habet.  
 15 Sed vos nimirum mortalia facta secutae,  
 16 omnis quando auro conciliatur amor,  
 17 pastorum et pecoris tenui custode repulso,  
 18 quaeritis a magnis munera magna deis.

#### IOLAS AD FAUNUM

C\_4 v.1 Mollibus Alcippe vernantia sarta genistis  
 2 collis ab usque jugo fert tibi, Faune, sui.  
 3 Ut vidi, huc amens summo de monte cucurri :  
 4 aspice perculso quam tibi corde loquor.  
 5 Nunc adeo si saepe tuos cantavimus ignes,  
 6 affer opem flammae tu quoque, Dive, meae.

7 Formosi cum te floris velabit honore,  
 8 haec illi dicas, ut tua verba, precor :  
 9 "Alcippe, miserum fastu quae perdis Iolam  
 10 teque simul tacito fallis inepta dolo,  
 11 munera, quae portas, bene si tibi nota fuissent,  
 12 damni te poterant admonuisse tui.  
 13 Nec reflorescunt, quae jam cecidere, genistae,  
 14 nec redeunt, qui jam praeteriere dies.  
 15 Quod si nulla mei tangit te cura poetae,  
 16 ah saltem formae parce, puella, tuae".

#### THESTYLIS AD FAUNUM

C\_5 v.1 Thestylis Alconis lectum pressura mariti,  
 2 numinis et cultus semper amica tui,  
 3 ipsum, Dive, suae tibi virginitatis honorem  
 4 solvit, adhuc nulli vincula tacta viro :  
 5 utque ea zona tuam pinum complexa tenebit,  
 6 sic se animo, sic se vinciat ille, rogat.

#### DAPHNIS AD FAUNUM

C\_6 v.1 Hac tibi, Faune, tua quae pendet fistula pinu,  
 2 de victo grates Thyrside Daphnis agit.  
 3 Quod si etiam illius dederis superare magistrum,  
 4 caedetur festis alba capella tuis.

#### GALATEA

C\_7 v.1 Pana Deum Siculi per iniquas littoris undas  
 2 eludit tarda dum Galatea fuga,  
 3 seque adeo, spe propectus studioque sequendi  
 4 plus medium infido tingeret ille mari :  
 5 "Quo fugis, o Galatea ? Mane, mane o Galatea :  
 6 non ego sum, dixit, non ego, Nympha, Cyclops,  
 7 qui flavum avulsis jaculatus rupibus Acin,  
 8 saevitiae liquit tristia signa suae.  
 9 Pastorum pecorisque Deus, cui garrula cera  
 10 prima dedit varios fistula juncta modos,  
 11 quem gelidi frondosa colunt pineta Lycae  
 12 laetaque Maenalia Parrhasis ora jugo,  
 13 unam de cunctis te diligo Neptuninis :  
 14 o Galatea, mane, o jam Galatea mane",  
 15 ille loquebatur ; fundo declive maligno  
 16 litus erat : gressum non tenere pedes.  
 17 Sed pelagi dum caeca urget male cautus, et instat  
 18 qua refugit pendens, subtrahiturque solum,  
 19 labitur, et summas dorso converrit arenas :  
 20 labentem intortis obruit unda fretis,  
 21 utque Deam, Galatea iterans, Galatea, vocabat,  
 22 implerunt tenues ora vocantis aquae.  
 23 Tum primum latices epotavisse marinos

24 Pana ferunt, ponti nec latuisse Deum,  
 25 sed quia Nereidas ibat vexare puellas.  
 26 Offensum fluctus non tenuisse suos.  
 27 Ergo illum nandi insuetum glauca excipit alto  
 28 unda sinu : exsultant irrequieta vada.  
 29 Marmora ter superare manu conatus amara,  
 30 ter circumfusus est revolutus aquis ;  
 31 Nympha Dei lapsum cupidis spectabat ocellis,  
 32 gratior et pulchro risus in ore fuit.  
 33 Spectarant, sparsi ut steterant per littora, Fauni,  
 34 Pan, comites Fauni, grataque turba tua,  
 35 et mixtus Faunis, cordi cui semper amores  
 36 Nympharum et querulo tibia rauca sono,  
 37 incubus, et Satyri, et coniferae Sylvanus  
 38 arboris agresti cinctus honore caput.  
 39 Qui simul atque ipsum gentis videre parentem  
 40 Pana sub impuris mergier aequoribus :  
 41 "Nympha redi, Galatea redi, neu desere amantem",  
 42 ingeminant omnes, "Candida Nympha redi.  
 43 Ah tantum ne admisse tuis sit dedecus undis,  
 44 quod taceant nulli post, Galatea, dies",  
 45 ingeminant Divi ; clamoribus icta resultat  
 46 arida pumiceum qua lavit Aetna pedem.  
 47 Illa metum fallax simulare et tendere in altum  
 48 et vanas surda rejicere aure preces ;  
 49 quo magis ii tristes maesti versare querelas,  
 50 et pelagi expertes dicere amore Deos.  
 51 Pectora pars pulsare manu, pars currere in undas  
 52 cedit, et argutos tardat arena pedes.  
 53 Omnia quae obliquo, lente nans, respicit ore,  
 54 unaque tot gaudet fallere Nympha Deos.  
 55 Utque satis lusit : "Certe sat lusimus, inquit,  
 56 successuque mei non caruere doli".  
 57 Atque ita jactatis relegit freta versa lacertis,  
 58 pronaque non longum vincere tendit iter.  
 59 Summa secant pulsae fluctu saliente papillae,  
 60 spumea sub niveo murmurat unda pede.  
 61 Tum summo apprensus cornu sustollit : at illi  
 62 clauserat insolitus lumina victa sopor,  
 63 ut rediit cum luce animus : "Quo percitus oestro  
 64 conjugium affectas, dixit, inepte, meum ?  
 65 Perque ausus vada salsa sequi regna invia vobis,  
 66 invitam pergis sollicitare Deam ?  
 67 Numen aquae gaudet tumidarum numine aquarum,  
 68 conveniunt votis vota propinqua meis.  
 69 Tu pete montivagas, quarum es de gente, capellas,  
 70 parte tui, et nostros linque, proterve, toros".

## PRIAPUS

C\_8 v.1 Ante alias omnes, meus hic quas educat hortus,  
 2 una puellares allicit herba manus :  
 3 quam rapiunt, non ut capiti dent ferre corollas  
 4 et niteat multo flore revincta coma ;  
 5 laeta nec ut festi velentur limina templi,  
 6 cum facit ad patrios plebs venerata Deos ;

7 nec phiala ut molles capiat conclusa maniplos  
 8 guttaque supposito stillet odora foco.  
 9 Atque ea non beta est, non brassica, non amaranthus,  
 10 non quae flamenti lumine caltha micat ;  
 11 lubrica non lapathus, non est Cereale papaver ;  
 12 adjuvat aut medicas quae panacea manus ;  
 13 nec Baccho cynara et mensis accepta secundis,  
 14 artificum nec qui surgis, acanthe, labor ;  
 15 nec quae cum rapidi vertit se lumine Phoebi,  
 16 nec quae de pueri nomine nomen habet.  
 17 Longe alia est longeque alios aptatur in usus,  
 18 nam primum bifido nititur illa pede.  
 19 Enodem tenta in caulem, resupinaque tota,  
 20 et patulum minio sparsa rubente caput,  
 21 est eadem, gelidis albet cum terra pruinis,  
 22 est, cum sidereo finditur usta cane.  
 23 Nil refugit, nulloque potest non tempore pangi,  
 24 nullis non apte conseriturque locis.  
 25 Certa nec ulla soli ratio est, cultusque serendae :  
 26 fecundum, subigas tu modo, semen habet.  
 27 Semina seu mandes sulcis, seu fossa feraces  
 28 accipiat plantas, utraque tuta via est.  
 29 At cum jam prima coepit pubescere sylva,  
 30 exaltatque opibus luxuriatque suis.  
 31 Tum vero lachrymae summo de vertice manant,  
 32 mella quibus cedant, Sicelis Hybla, tua.  
 33 Quin etiam digitis contrectarique superne  
 34 gaudet et attactu crescit ab ipsa tuo.  
 35 Nec minus hanc (quae cuncta mihi licet usque tueri,  
 36 nam me posse loqui femina nulla putat)  
 37 quamlibet ingenuae gaudent tetigisse puellae,  
 38 et mediam tenera continuisse manu ;  
 39 saepe iuvat summae prono dare basia vultu,  
 40 lentam sollicita saepe fovere mora.  
 41 Dumque fovent, tenues planta risere tumente  
 42 per tunicas agilem surgere, perque manus.  
 43 Tum mirata novam faciem non rustica virgo,  
 44 praegrandesque toros insolitumque decus :  
 45 "Te veneror, gramen magni mihi numinis instar,  
 46 teque meum columen, te mea sceptrum puto",  
 47 dixit ; nec cunctata diu vestemque reducit  
 48 et bibulam inducto sedula fonte rigat.  
 49 Illa madet fusa circum sua vimina vena,  
 50 quasque haurit, largo fenore reddit aquas,  
 51 cultricumque sinus laetis proventibus implet,  
 52 perfugium in multis una reperta malis.  
 53 Nam quae, longinquas sponso volitante per undas,  
 54 carpitur indigno sola relictum situ,  
 55 et macet in viduo pertabescitque cubili,  
 56 fibra se multum graminis hujus alit.  
 57 Molle jecur tacita quae deperit icta sagitta,  
 58 plurimam in epoto semine sentit opem.  
 59 Cui facies pallet, caulem si prandet opimum,  
 60 prandenti gratus serpit in ora rubor.  
 61 Et quae turgidulos flendo corrumpit ocellos,  
 62 ut temere in lachrymas hoc genus ire vides,  
 63 rore inspersa levi, summa qui prosilit herba,  
 64 laetitias animo luminibusque facit.

65 Et quam nigra malis terrent insomnia visis,  
 66 admorso placidus germine somnus habet.  
 67 Dudum habilis tum si qua viro est, materque vocari  
 68 expetit, ignavos conqueriturque dies,  
 69 olim ne sterilem postrema redarguat aetas,  
 70 auxilium radix, tempore sumpta, venit.  
 71 Denique si qua suo mulier male culta marito est,  
 72 hanc vorat atque assis non sua damna facit.  
 73 Quamque magis digitos implet capientis et ore  
 74 manditur oppleto, tam magis illa placet.  
 75 In molli latet umbra aliis, mihi semper aperta est :  
 76 tam bona non debet graminis herba tegi.  
 77 Nomine si cupias cognoscere, Menta pusilla est.  
 78 Rides ? Sic illam Roma diserta vocat.  
 79 Sed quae, docti homines cum dicunt, Menta pusilla est,  
 80 haec mihi non docto maxima vel nimia.  
 81 Parcite Romulidae, verbo sum lapsus in uno :  
 82 an cuiquam nimium tale quid esse potest ?

#### LEUCIPPI ET ALCONIS TUMULUS

C\_9 v.1 Fer casiam et flores et odori balsama trunci,  
 2 quanta super tumulos integat umbra duos.  
 3 O Pan, Pan, periere tui Leucippus et Alcon :  
 4 fer casiam, et plena balsama carpe manu.  
 5 Carpe manu flores, ipsaque volente Thalia,  
 6 Nympharum sectis sparge sepulchra comis.  
 7 Illi, proh, tantum quos tu laudare solebas,  
 8 Musa quibus cordi semper amorque fuit,  
 9 proh facinus, periere ; nec est revocabile damnum :  
 10 aspice, composito fletur uterque rogo.  
 11 O Pan, Pan, seu te gelidi montana Lycaei,  
 12 seu tenet umbrosa Maenalis ora nape,  
 13 huc ades, et tepidam lachrymis resperge favillam :  
 14 dedecet hic lachrymas continuisse, Pater.  
 15 Ipsa Venus flevit : teneri flevistis Amores :  
 16 fleverunt Dryades, Nereidesque Deae.  
 17 Phoebus adest, repetensque suos mala fata poetas  
 18 vexat flebilibus saxa nemusque modis.  
 19 Atque ait haec : "Periere mei Leucippus et Alcon :  
 20 estque adeo, qui me numen habere putet ?  
 21 En facinus, rapuere meos mala fata poetas,  
 22 quaque sequar raptos, non datur ulla via,  
 23 quos alvi, quorum ipse pio cantabar ab ore,  
 24 et dederam laurum crinibus ire meam.  
 25 Sume fidem : cornu celeres intende sagittas,  
 26 nimirum ut fugiant te bona prima tua.  
 27 Rumpe fidem : cornu celeres infringe sagittas,  
 28 nominis illa tui gloria, Phoebe, jacet.  
 29 Nymphae, terrarum praesentia numina, Nymphae,  
 30 quae colitis Tusci littora curva maris,  
 31 Phoebus ego : Phoebi testes estote doloris,  
 32 quanquam etiam vester debuit esse dolor.  
 33 At vos ulla mei tangit si cura doloris,  
 34 quanquam etiam vester debuit esse dolor,  
 35 pastores, tumulo Phoebi decorate poetas,

36 et memorem in tumuli caedite fronte notam :  
 37 - Hic geminae Phoebi curae, Leucippus et Alcon ;  
 38 pastores ovium, pastorum et uterque magistri - " .

## AD MELINUM

C\_10 v.1 Quid dominam assiduis vexas, Meline, querelis ?  
 2 Frangitur injusto laesa timore fides.  
 3 Simplicitas magis ipsa juvat, cum lege soluti  
 4 jungitur in tacito femina virque toro.  
 5 Mitem animum dedit infirmis natura puellis,  
 6 fecit et ad blandas mollia corda preces.  
 7 Culpam in amore suae qui nullam agnoscit amicae  
 8 novit qua melius arte perennet amor.  
 9 Mulciber aeternos Venerem tenuisset in annos,  
 10 usa minus duro si foret illa viro.  
 11 Ah pereat, quicumque suae peccata puellae  
 12 objicit et flentem sustinuisse potest.  
 13 Ipse ego si videam, nollem vidisse fateri,  
 14 gaudia ne flendo dissipet illa mea.  
 15 Tu quoque, quod nolles fieri, desiste vereri :  
 16 non erit : innocuos ipse tuetur amor.

## AD TELESILLAM

C\_11 v.1 Ne valeam, Telesilla, tuo ni semper in ore  
 2 saevus Amor facibus cum pharetraque sedet.  
 3 Nam quoties mala verba moves, toties mihi pectus  
 4 vapulat heu pueri de pharetra et facibus.  
 5 Sed peream, Telesilla, tuo ni semper in ore  
 6 blanda Venus violis cum casiaque sedet.  
 7 Oscula nam quoties mihi das auferre petita,  
 8 das toties Veneris et casiam et violas.  
 9 Quid Siculis ingrata favis absinthia misces ?  
 10 Sive mihi tantum sis bona, sive mala,  
 11 altero uti superem laetus, dum te mea vita  
 12 placata potior, altero uti moriar.

## AD LUCRETIAM BORGIAM

C\_12 v.1 Tempore, quo primam miscens fluvialibus undis  
 2 Iapetionides rite animavit humum,  
 3 scilicet hac teneras oneravit lege puellas  
 4 natura, in nostris parca tenaxque bonis :  
 5 ut speciem et clarae ferret quae munera formae,  
 6 ingenii nullas quaereret illa vias ;  
 7 quaeque animi decus indueret, cultumque per artes  
 8 pectus Apollineas ingeniumque ferax,  
 9 illa sibi nullum formae speraret honorem :  
 10 atque omnes pacto jussit adesse Deos.  
 11 Plurima cumque novo crevisset femina mundo,  
 12 eventus certam sustinere fidem.



13 Namque ut habent mala rura valentes saepe colonos,  
 14 pigraque, qui bonus est, otia sentit ager,  
 15 sic non formosae cultu nituere puellae,  
 16 et quae pulchra, eadem desidiosa fuit.  
 17 Prima, meum atque aevi sidus spectabile nostri,  
 18 tantum animo, quantum, Borgia, fronte micat :  
 19 et tibi cum facie non certet Agenore nata,  
 20 non Helene Idaeo rapta Lacaena Pari,  
 21 te tamen in studia et doctas traducis in artes,  
 22 nec sinis ingenium splendida forma premat.  
 23 Sive refers lingua modulatum carmen Etrusca,  
 24 crederis Etrusco nata puella solo ;  
 25 seu calamo condis numeros et carmina sumpto,  
 26 illa novem possunt scripta decere Deas.  
 27 Naulia seu, citharamve manu percurrere eburna,  
 28 et varia Ogygios arte ciere modos,  
 29 seu revocare Padi vicinas cantibus undas,  
 30 mulcentem dulci flumina capta sono,  
 31 seu te nexilibus juvat indulgere choreis,  
 32 et facili ad numerum subsiluisse pede,  
 33 quam timeo, ne quis spectans haec forte Deorum  
 34 te praedam media raptor ab arce petat,  
 35 sublimemque ferat levibus super aethera pennis,  
 36 detque novi caelo sideris esse Deam.  
 37 Quicquid agis, quicquid loqueris, delectat : et omnes  
 38 praecedunt Charites, subsequiturque decor.  
 39 Ipse decor sequitur : sed, si modo vera fatemur,  
 40 hei mihi, quam multis est decor ille malo.  
 41 Nam minus Aetneas vexant incendia rupes,  
 42 quam quibus est facies, Borgia, nota tua ;  
 43 nec facies modo, sed docti quoque pectoris artes ;  
 44 ah pereat, si quem forma sine arte movet !  
 45 Atque ego, qui miseros olim securus amantes  
 46 ridebam et saevi regna superba Dei,  
 47 spectabamque mari laceras de litore puppes,  
 48 nunc agor in caecas naufragus ipse vias.

#### AMICA AD GALLUM

C\_13 v.1 Galle, meum sidus, mea lux, mea summa voluptas,  
 2 quo levis ille tuus tam cito fugit amor,  
 3 lusibus ut metam cupias imponere nostris,  
 4 teque meo properes eripuisse sinu ?  
 5 Siccine tot nostri de te meruere labores,  
 6 et mea non ullo crimine laesa fides ?  
 7 Haecine tu nobis olim promissa dedisti,  
 8 juratus Paphiae numina magna Deae,  
 9 cum te numquam alia caliturum, Galle, puella,  
 10 sed fore dicebas tempus in omne meum ?  
 11 Heu male consultas veri quaecumque putamus  
 12 ullius in verbis pondus inesse viri,  
 13 et miseras, quae, more meo, vitamque necemque  
 14 atque omnes ponunt spes in amante suas.  
 15 Nutat ut in summis vento leve culmen aristis,  
 16 fluxa labat vestro sic in amore fides ;  
 17 utque undam premit unda sequens pellitque priorem,

18           sic vos usque novus versat et urget amor ;  
19       atque ita tu, bone Galle, novo male captus amore,  
20       qua me destituas, pergis inire viam.  
21       Interea ficto velas tua crimina vultu,  
22       accumulasque malis perfida facta dolis :  
23       quaeque potes melius campo committere aperto,  
24       bella per insidias dissimulata moves.  
25       Nam mihi nulla facis querula convicia lingua,  
26       nec rapit ira meas ungue notare genas,  
27       ac neque turbatos abstergere flentis ocellos,  
28       figereque abstersis oscula luminibus,  
29       nec piget illapsos fronti componere crines,  
30       et dare compositae florea sarta comae :  
31       atque illos laudas, atque hanc, et colla manusque  
32       exiguosque pedes virgineumque latus :  
33       utque prius, videorque tibi te digna, proborque,  
34       meque tuos oculos, corque animamque vocas.  
35       Sed te jam totam culpari, Galle, per urbem  
36       fingis, et a populo non bona verba pati,  
37       plus aequo facilem quia des te semper amanti,  
38       meque animo nimium perpetiente feras ;  
39       quaelibet et praesto venias in jussa, nec umquam  
40       abscedas lateri longius ungue meo ;  
41       quoque tui plures atavi gessere triumphos,  
42       et proprio quo plus ipse decore micas ;  
43       hoc inquis magis indignum et deforme videri,  
44       te Veneris laqueis implicuisse caput,  
45       atque dies totos dominae parere puellae,  
46       quae tua femineo sub pede colla premat.  
47       Haec mala ne serpent, curam te velle parumper  
48       nominis et famae dicis habere tuae.  
49       Ista tui nova cura venit tibi nominis unde,  
50       me nisi quod miseram linquere, Galle, paras ?  
51       Namque in amore movent propriae quem incommoda vitae,  
52       damna potest famae quique timere suae,  
53       atque novas leges maerenti dictat amicae,  
54       subtrahit hic laxo jam sua colla jugo :  
55       quosque canit titulos speciosaque nomina rerum,  
56       dissidii causas quaerit habere sui.  
57       Aeneas donec miseram dilexit Elisam,  
58       fatorum et nati mentio nulla fuit.  
59       Sed sive ille novam muris praecingeret urbem,  
60       haerebat Phrygio pulchra Libyssa viro ;  
61       seu vexare feras cursu jaculisque pararet,  
62       vecta comes celeri Sidonis ibat equo ;  
63       seu daret e solio populis sua jura vocatis,  
64       jura simul populis quae daret, uxor erat.  
65       Verum ubi cessit amor, tum spe surgentis Iuli  
66       ducitur et fatis lintea danda putat ;  
67       tum videt intrantem muros et multa monentem  
68       de Maia genitum, de genitumque Jove ;  
69       Ostia tum Lyciae Tiberina capessere sortes  
70       Grynaeaeque jubet cultus in aede Deus,  
71       et patris Anchisae in somnis super urget imago,  
72       debita Trojanis Itala regna sequi.  
73       Galle, adeo non ora gerit mendacia, cujus  
74       legitimi pectus aestuat igne Dei.  
75       Albis nigra bonus confundere nescit amator,

76           vertereque ambigua fasque nefasque via.  
 77       Tam purum nihil est veri quam sensus amoris,  
 78           indigeatque ulla quod minus artis ope.  
 79       Ille nihil didicit fictis componere verbis,  
 80           qui, quod amat, certa novit amare fide,  
 81       nec quaerit furtis, bene sed placuisse merendo,  
 82           et tantum pollens simplicitate sua est.  
 83       Adde quod est Amor ipse puer, nec convenit illo  
 84           versutum pectus militis esse duce.  
 85       Utque Deus nullo velat sibi corpus amictu,  
 86           sic nudis animis vult sua bella geri :  
 87       quemque videt non insidiis, non artibus uti,  
 88           hic bonus est, inquit, miles, eritque mihi.  
 89       At contra incerti et malefidum vulgus amantes,  
 90           illita felle malae pectora fraudis habent.  
 91       Nam semper magnis se dicunt ignibus uri,  
 92           ardet ut in summo Sicelis Aetna jugo :  
 93       sed modo se patriae, modo se causantur amicis,  
 94           nunc dare principibus imperiisque diem,  
 95       nunc famae spectare viam, nitique per ora  
 96           ire virum, atque astris inseruisse caput,  
 97       dum fallant astu miseris perdantque puellas :  
 98           quos inter magnum tu quoque nomen habes.  
 99       Atque utinam vanis in te, mea vita, querelis  
 100           invecta et falsa dicerer usa nota :  
 101       constantique fide tu nos, ut fingis, amares,  
 102           adversi ferrent nec mea vela Noti.  
 103       Sive tamen nostri perstas in amore fideque,  
 104           arcessis propera cur mea fata via ?  
 105       Seu tuus ille prior menti deferbuit ardor,  
 106           ah cur me miseram linqere, Galle, paras,  
 107       quae te uno semper colui male sana tenore,  
 108           quae sum per longas usque secuta vias ?  
 109       Ipsa quidem non defugio tua jussa, nec ulla  
 110           parte tuus nobis dissimulatur honos.  
 111       Sed cave, ne titulos dum vis augere, perempta  
 112           infirmit laudes una puella tuas.

## AD LYGDAMUM

C\_14   v.1   Heu diversa tuis quam sunt mea, Lygdame, fata :  
           2           ut nos non uno versat in orbe Deus !  
           3       Tu, quod amas, crebro invisus, longumque tuendo  
           4           aegrum animum atque avidos pascis amore oculos ;  
           5       et lateri admissus jocundos aure susurros  
           6           pendulus et fragrantem excipis ore animam ;  
           7       summa vel auratae suspendis basia mitrae,  
           8           dum loqueris vacuam blandus ad auriculam ;  
           9       levibus aut raptum digitis, teretive lacerto  
 10           molle decus domina non renuente geris ;  
 11       et trahis a prima serus convivia nocte,  
 12           dum sol frenatos ad juga poscat equos.  
 13       At mihi longiquae gentesque urbesque petuntur,  
 14           ut toto a domina separer orbe mea ;  
 15       et modo nimbosas mannis transmittimur alpes  
 16           saxaque vix ipsis exsuperanda feris ;

17 nec caeci nemorum tractus suspectaque lustra,  
 18 nec tardant nostras flumina adaucta vias.  
 19 Interdum audaci vastum trabe currimus aequor,  
 20 velaque nostra iidem venti animamque ferunt.  
 21 Qua tamen in terra est mea lux, convertor ad illam,  
 22 et frustra Eurydices nomen in ore meo est :  
 23 atque ita conjunctorum animis et amore duorum,  
 24 alteri adest semper quod cupit, alteri abest.

DE AMICA A VIRO SERVATA DILIGENTISSIME

C\_15 v.1 Non tua nequicquam mediis sitientis in undis,  
 2 Tantale, flumineus respuit ora liquor ;  
 3 nec frustra esurientem eludunt arbore ab alta  
 4 semper verticibus pendula poma tuis.  
 5 Nempe haec damnatos exercet fabula amantes :  
 6 huic nos poenarum debita turba sumus.  
 7 En ego, cui domina est, quae me mihi charior ipso est,  
 8 pro qua non metuam, vivat ut illa, mori ;  
 9 quae me prae dulci germana et fratribus aureis,  
 10 praeque suo sese dicit amare viro ;  
 11 cum teneant nos iidem ambo intra tecta penates  
 12 una eadem, atque uno pene etiam in thalamo,  
 13 saepe ut nuda sinus et qualis surgit ab ipso  
 14 mane toro veniat conspicienda mihi ;  
 15 non tamen huic possumve meos narrare labores,  
 16 atque aliquam adversis poscere rebus open ;  
 17 nonve sedere una, non dextrae jungere dextram,  
 18 non dare lacteolis basiolum digitis :  
 19 omnia quae possunt alii, qui tam nec amantur,  
 20 nec quorum tantus concutit ossa Deus.  
 21 Atque haec non patior, quia magnos impia Divos  
 22 laeserit acta gravi lingua furore mea ;  
 23 aut violarim audax proavorum sancta sepulchra  
 24 et fraterna piis eruerim ossa locis ;  
 25 aut reserans Italas Gallis venientibus urbes  
 26 intulerim Veneta barbara signa manu.  
 27 Sed neque sopiti Alecto intentavit in ora  
 28 luridam ab inferno stans Phlegethonte facem ;  
 29 femina devotum nec me ulla potentibus herbis  
 30 prodidit, et magici docta ministra doli,  
 31 infecitque dapes et diris pocula succis,  
 32 quales Circaeos imbuerant cyathos  
 33 tunc, cum hominum e facie remex patientis Ulysssei  
 34 induit in varias pectora versa feras.  
 35 Quippe horum nihil est, tantum tuus ille maritus,  
 36 Eurydice, annosis durior ilicibus,  
 37 observat te meque simul prohibetque vel uno  
 38 cedere te lateri longius ungue suo.  
 39 Ille tuae raptum fronti decus et mea nuper  
 40 misit in Adriacas dona scelestus aquas.  
 41 Quamque mihi telam pingebas nexibus aureis,  
 42 igni non ipso mitior igne dedit.  
 43 Ille tibi, si quando aliquo diversus abire  
 44 cogitur et regis castra viasque sequi,  
 45 imponit legem exosus, ne quod mihi verbum

46           dicas, ne ve in me lumina conjicias,  
 47       neve aliquem auscultes, de me quicumque loquatur,  
 48           neve legas digitis scripta notata meis.  
 49       Utque pater bimae, gestit quae incedere, natae,  
 50           sic custode tuum munit utrumque latus.  
 51       Interea querulo plenas sermone tabellas  
 52           dat tibi, juratos commemoratque Deos  
 53       et Venerem matrem et, cui vincla jugalia curae,  
 54           Saturni magnam progeniem atque nurum :  
 55       et modo quae in nostro capiantur, scribit, amore  
 56           comperta esse tibi singula consilia.  
 57       Nunc si comperiet quicumque, mala multa minatur,  
 58           teque absens etiam ferreus excruciat.  
 59       Ne valeas unquam insanos finire dolores,  
 60           nullaque sit miserae non gravis hora tibi.  
 61       Proh superi, Eurydice, tune haec tam tristia, tamque  
 62           perdita facta animo perpetiente feres ?  
 63       Tune ullis sine deliciis poteris, mea vita,  
 64           cum tibi tam ingrato consenuisse viro ?  
 65       Adde quod exsuperat cornicum saecla vetusta,  
 66           natus et is multo est, quam pater ante tuus :  
 67       quasque vides, ipso non sunt in vertice : canos  
 68           occulit adscitis calvitiumque comis ;  
 69       immundamque animam et late graveolentia odoro  
 70           flore Arabum et multis artibus ora fovet.  
 71       Parcite custodes : non est mea digna puella,  
 72           quae senis impuri perferat imperium ;  
 73       et me si videat quis vestrum accedere ad illam,  
 74           avertat se, aliam dissimuletque viam ;  
 75       aut niveam dum tango manum, dum mollia carpo  
 76           oscula, vos somno lumina victa date.  
 77       Si piget hoc, dura tum me vincite catena,  
 78           et contusa gravi compede crura sonent,  
 79       mille vel inclusum dubiis perplexibus error  
 80           detineat, tecti Creta superba tui ;  
 81       innixi aut ferro muri atque adamantina turris,  
 82           Cocyti aut triplici sepiat unda lacu,  
 83       dum servet nostram custodia nulla puellam.  
 84           Ah pereant, quos haec tam mala cura movet !  
 85       Tum primum Eurydices cupiam periisse maritum,  
 86           illa sit ut duro libera servitio :  
 87       quemque velit, cuicumque velit, spectetque loquaturque,  
 88           acclinetque humero languida molle caput.  
 89       Cur tamen ipse miser pereas ? Sine me tua tantum  
 90           uxor amet : tunc te mi superesse velim,  
 91       tunc te laudabo, tunc te mea Musa per aevum  
 92           praesentum et venturum omnium in ora feret ;  
 93       tunc quos nunc habeo et quos sum olim habiturus amicos,  
 94           omnibus ipse mihi charior untis eris.  
 95       Diliget illa etiam plus te, mitescere si te  
 96           senserit : immites ipse repellit amor.  
 97       Peccabitque minus, modo si peccare libebit,  
 98           de te cum sibi nil, unde queratur, erit.  
 99       Obsequio tenerae vincuntur corda puellae,  
 100           obsequium magni numinis instar habet.  
 101       Obsequium blando paulatim assuescere amanti,  
 102           et Veneris multas ferre jugum docuit,  
 103       quarum ante immodicos spirabant lumina fastus.

104           Contra justa malis instruit ira dolis :  
105       hos natura parens illis, ut cornua tauris,  
106           alitibusque ungues rostraque longa dedit.  
107       His se defendunt armis, laesaeque repugnant  
108           scilicet : haec noceant ne tibi tela, cave.  
109       Nec melius cavisse potes, quam si bene factis  
110           ingenium dominae promereare tuae.  
111       Hae tibi sint artes, sic illam vincere tenta :  
112           vinces, aut victus damna minora feres.  
113       Nec tu femineas irrites conjugis iras :  
114           femineus refugit crimina nulla dolor.  
115       Nil metuunt violare, nihil pervertere parcunt :  
116           e caelo dederint praecipites superos,  
117       cum spe dejectaeque sua durique perosae  
118           facta viri madidis ingemuere genis.  
119       Trajecit rigido natorum pectora ferro  
120           Isthmiaci Colchis victa dolore tori.  
121       Apposuit natum patriis in prandia mensis  
122           impia Bistonium Daulias ultra scelus.  
123       Quot mare habet Libycum fluctus, quot littus arenas,  
124           tot movet in laeso femina corde dolos.  
125       Sed quid ego haec repeto ? Me tantum utare magistro,  
126           saevierit damno femina nulla tuo.  
127       Tunc, quae te miserum mala nunc versantque trahuntque,  
128           effluxisse tuo protinus ex animo  
129       dices, ut fracta fontis liquor effluit urna,  
130           gestatus flavo virginis in capite,  
131       si forte in triviis pueri dum proelia ludunt,  
132           impulsus duri testam aperit silicis :  
133       atque haec dat gemitum et largo simul expluit imbri,  
134           horridulos illi perluit unda sinus.  
135       Pax aderit, pacisque Deus cum matre Cupido,  
136           nudaque amabilibus Gratia mixta jocis,  
137       terque solum pellens tenero pede Lusus, ut olim  
138           aurea cum faciles saecla tulere viros.  
139       Nullae vexabant curae mortalia corda,  
140           libertas illo tempore magna fuit.  
141       Dura nec inscriptis astabant legibus aera,  
142           culpa scelusque aberant sollicitusque timor,  
143       nec vicina suis natam vetuere parentes  
144           non observatos ferre per arva pedes.  
145       Nec socias lecti mos custodire puellas,  
146           liminaque obducta claudere firma sera.  
147       Simplicitas magis ipsa juvabat, tum bona passim  
148           gaudia cum nullis juncta habuere malis.  
149       Haec et plura tibi contingent commoda : quae non  
150           regum spes alto nixa pedem solio,  
151       aerataeque acies constipatique manipuli,  
152           omnis et acta tuo terra sub arbitrio,  
153       omne mare exsuperent : ipso te iudice felix,  
154           ditior et votis esse ferere tuis.  
155       Des modo te nobis curare volentibus aegrum,  
156           vulnera tractari sustineasque tua.  
157       Promere opem egregios Podalirion et Chirona  
158           vincam ego tam doctas non habuisse manus :  
159       ipse tibi adsistat medicae Deus arbiter artis,  
160           illa non poteris convaluisse via.  
161       At si, quae moneo, surda contempseris aure,

162           verbaque do rapidis nunc mea turbinibus,  
 163       irrita post paulo spreti praecepta poetae  
 164           flebis, teque mihi non habuisse fidem.

## DE GALESO ET MAXIMO

C\_16    v.1    Increpat admissi tenerum dum forte Galesum,  
           2           et queritur fluxa Maximus esse fide ;  
           3       dumque malos pueri mores incusat, et ipsi  
           4           dura laccessitus verba ministrat amor :  
           5       non ille urgenti sese purgare magistro,  
           6           non multa offensum conciliare prece,  
           7       inficias non ire et testes poscere divos,  
           8           largo purpureas imbre rigante genas ;  
           9       non etiam irasci contra, justique doloris  
 10           accensam in laeso promere corde facem.  
 11       Nil horum aggreditur : sed tantum ingrata loquentis  
 12           implicitus collo dulce pependit onus.  
 13       Nec mora, cunctanti roseis tot pressa labellis  
 14           oscula caelitibus invidiosa dedit,  
 15       arida quot levibus flavescit messis aristis,  
 16           excita quot vernis floribus halat humus.  
 17       Maxime, quid dubitas ? Si te piget, ipse tuo me  
 18           pone loco : haec dubitem non ego ferre mala.  
 19       Sed neque jam dubitas, nec te piget, inque volentem  
 20           basia mellitus contulit illa puer.  
 21       Macte tuo damno et pueri, bone Maxime, culpa,  
 22           macte tua culpa nequitiaque, puer.  
 23       Nam veneror, quorum placidi non pectora mores  
 24           composuere minus, quam face torret amor.  
 25       Crediderim in sancto dentur si jurgia caelo  
 26           inter se faciles non secus esse Deos.  
 27       Ex omni vobis mollissima vellere fila  
 28           nevit docta colo ducere fata soror.  
 29       Quis sortem magis optandam sibi poscat amoris,  
 30           Maxime, sive tua, sive, Galese, tua ?  
 31       Tene tui faciunt pueri peccata beatum ?  
 32           Tune tuo peccans gratior es domino ?  
 33       Sic o saepe meus peccet, sic laedat amorem,  
 34           sic mihi se laeso praestet amore puer.

## AD SEMPRONIUM A QUO FUERAT REPREHENSUS, QUOD MATERNA LINGUA SCRIPSERIT

C\_17    v.1    Non quod me geminas tenere linguas,  
           2           et Graiam simul et simul Latinam,  
           3       Semproni, reputem, mei libelli  
           4           materna tibi voce sunt locuti,  
           5       ut tamquam saturum hinnuloque aproque  
           6           vilem juverit esse me fasellum :  
           7       quod tu carminibus tuis venustis  
           8           permirum tibi dixeras videri.  
           9       Sed famae veritus malae periculum,  
 10           campo versor in hoc locutionis :  
 11           quod dicam tibi, quem proboque amoque

12 quantum pignora vix amant parentes,  
 13 ut cum noveris id, cavere possis.  
 14 Nam pol qua proavusque avusque lingua  
 15 sunt olim meus et tuus locuti,  
 16 nostrae quaque loquuntur et sorores,  
 17 et matertera nunc et ipsa mater,  
 18 nos nescire loqui magis pudendum est,  
 19 qui Graiae damus et damus Latinae  
 20 studii tempora duplicemque curam,  
 21 quam Graia simul et simul Latina.  
 22 Hac uti ut valeas tibi videndum est :  
 23 ne dum marmoreas remota in ora  
 24 sumptu construis et labore villas,  
 25 domi te calamo tegas palustri.

### BENACUS

C\_18 v.1 Te Giberte cano, purus dum templa sacerdos  
 2 ingreditur, cupioque tuas attingere laudes.  
 3 Sit modo non impar tanto sub pondere, quae me  
 4 Musa vocat : nec eam ventura redarguat aetas  
 5 obscurae carmen claro tibi condere famae,  
 6 et magnum brevibus voluisse intexere chartis.  
 7 Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas,  
 8 muscoso subter pendentia fornice tecta,  
 9 atque Dei laetis implevit vocibus aures  
 10 advenisse diem, quo formosissima terrae  
 11 Ausoniae Verona sacris templisque regendis  
 12 demissum caelo et magnis virtutibus auctum  
 13 acciperet juvenem, qualem vix ipsa petebat,  
 14 forte Pater gelido in luco sylvaque virenti  
 15 fontibus et rivis cubito subnixus et urnae  
 16 jura dabat : cui carbasei mollissima fili  
 17 stamina pingebant fuco, vestemque parabant  
 18 caeruleam, innumerae nodis ac retibus aureis  
 19 collectos comptae crines tempusque decorum,  
 20 incinctaeque auro surasque sinusque fluentes  
 21 vestibulo in thalami natae, niveosque lacertos  
 22 nudabant operi : quo pulchro ex agmine Sirme  
 23 docta lyrae digitis percurrere fila canebat  
 24 carmen, quod totidem numeris Gardeque Saloque  
 25 reddebant ; sol aestivos circumvagus orbes  
 26 axe terens medio currum librabat Olympo.  
 27 Ergo avidis allata Deus postquam auribus hausit,  
 28 promissosque olim fatis sibi laetus honores  
 29 agnovit, tangens haerentem uligine barbam,  
 30 demulcensque manu jussit vicina vocari  
 31 flumina ; dein sese placidum convexa sub alta  
 32 speluncae senior solitaque in sede recepit.  
 33 Postera jam caelo stellas noctemque fugarat  
 34 lustrabatque dies multo terrasque fretumque  
 35 lumine, cum nitidis venit Ticinus in undis,  
 36 piscosusque altas involvens Lambrus arenas.  
 37 Venit et indigenis fecundans Ollius arva  
 38 deductus rivis, et cultos Abdua campos  
 39 amne secans, fulvo ripasque interlitus auro.



40 Nec rapidus fluvioque Athesis spectandus amoeno  
 41 defuit, aut Patavi circumque intraque pererrans  
 42 moenia Meduacus triplici circumdata muro :  
 43 moenia, quae positor pugnas et bella perosus  
 44 Musarum Iliacus studiis Phoeboque sacravit.  
 45 Populiferve Padus genitor, qui flumina centum  
 46 ipse suo accipiens vasto latissimus alveo  
 47 ubera terrarum cursu per pingua lapsus  
 48 portat, seque mari septenis amnibus infert.  
 49 Quos tunc atque alios velatus harundine crinem  
 50 Mincius excepit venientes limine primo  
 51 obvius atque in tecta parentis saxea duxit,  
 52 laetifico cordis non celans gaudia vultu.  
 53 Qui simul ac udos posuere sedilibus artus  
 54 cristallos rigida fultis et iaspide glauca,  
 55 continuo Nymphae mensas ante ora Deorum  
 56 speluncae in medio niveis mantilibus apte  
 57 consternunt, dapibusque onerant, Dictaeaeque plena  
 58 vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes  
 59 praecingunt myrto atque implexis flore coronis,  
 60 purpureoque rosae, Medorumque arboris albo :  
 61 Medorum quondam, sed quae nunc plurima laetas  
 62 Benaci vestit ripas, non illa caduca  
 63 fronde virens, suavique auras permulcet odore.  
 64 Post ubi prima quies epulis, Deus ipse magister  
 65 undifragi domitorque lacus, praesentia circum  
 66 numina respiciens, his vocibus ora resolvit :  
 67 "Quod votis toties nequicquam optavimus unum  
 68 vobiscum, Divi, fausto modo sidere luces,  
 69 vertentes luces fatorum orbisque ministrae,  
 70 advexere : vehit pleno bona copia cornu,  
 71 largaque pomifera praetendit munera dextra.  
 72 Quare vos primo longaevis a semine mundi,  
 73 in mare fluctisonum prono labentia cursu,  
 74 volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 75 Flos etenim juvenum, longa formidine saecula  
 76 perdita qui solvat, quique agglomerata malorum  
 77 agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,  
 78 Bactra ultra, Thylemque ultra Scythiamque releget,  
 79 quique urbes, quique arva colat, Jove missus ab ipso est.  
 80 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 81 Hic primum miseris viduatas civibus urbes  
 82 accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,  
 83 replebit numerum exaequans augensque priorem :  
 84 oppidaque ingenti multum quassata ruina  
 85 prostratisque solo late maerentia tectis  
 86 restituet, pulchroque dabit splendescere vultu.  
 87 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 88 Magno namque pii juvenis devinctus amore  
 89 Etruscus Pater, excelsas qui Tybridis arces  
 90 possidet et nutu Romanum temperat orbem,  
 91 illius eximias virtutes claraque docti  
 92 ingenii monumenta et sancti pectoris artes  
 93 suspiciens, obitosque invicto corde labores,  
 94 hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.  
 95 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 96 Quid memorem ut tener et primae sub flore juventae  
 97 ingentem ad ludum properaverit auspiciis dis ;

98 indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,  
 99 robore ceu firmo ventorum flamina quercus,  
 100 aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,  
 101 sic undas rerum excipiens et plena pericli  
 102 multa diu casus victor superaverit omnes.  
 103 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 104 Saepe illum abruptis in vallibus Apennini  
 105 versantem, luctantis equi cum frangeret armos  
 106 praecipitansque viam obstrueret torrentibus imber,  
 107 Poeninas vel per fauces tractusque volantem  
 108 aérios, summo miseratae e vertice, Nymphae  
 109 optavere graves cohiberent nubila nimbos.  
 110 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 111 Saepe illi ad magnos reges mandata ferenti  
 112 astitit unigena proles Jovis, ut bona mater :  
 113 ut mater bona, quae charo timet omnia nato  
 114 et cupit in duros comitem sese addere casus.  
 115 Tum pueri mirata oculos et verba loquentis,  
 116 - ipse meas artes jam nunc tibi, dixit, habeto - .  
 117 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 118 Testis adest triplices magnas discreta per oras,  
 119 fluviorum nemorumque ferax pecudumque virumque  
 120 Gallia, non auri, pictae non indiga vestis ;  
 121 diversosque jugo ad ventos interque cadentem  
 122 surgentemque diem longo protenta Pyrene,  
 123 altis quae geminas despectat frontibus undas.  
 124 Tum dictis factisque potens illa inclyta bello  
 125 lataque et in latas Hispania dissita terras.  
 126 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 127 Hae nam te insolita orantem, aversasque suorum  
 128 flectentem regum mentes, Giberte, videbant,  
 129 acceptos conversa sonos cum vocis imago  
 130 redderet, et dociles iterarent nomina ripae.  
 131 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 132 Testis et Adriacus, parvo qui flumine Rhenus  
 133 lambit humum ; testis Tuscis haud maximus undis,  
 134 major prole virum, et divinos Arnus honores  
 135 promeritus, caelum divisque recentibus augens,  
 136 pulchros qui colles, pulchramque intersecat urbem :  
 137 gens quorum imperio dispar, nec legibus aequa,  
 138 illius in studiis jam dudum et amore quiescit.  
 139 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 140 Tu vero, tu Roma, tui genus ecquod alumni  
 141 jam non curarum, non commemorare laborum  
 142 una potes ? Tolle egregium per saecula nomen,  
 143 tolle decus, daque alta virum volitare per ora.  
 144 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 145 Quantum Trinacriae vertex se sustulit Aetnae,  
 146 aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,  
 147 tantum clara virum Romae se nomina tollunt.  
 148 Illa novos tibi caelestum concessit honores  
 149 antiquis cumulans : at tu praesentia saecula  
 150 firmabis veterumque abolebis damna malorum.  
 151 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 152 Ecce tibi laeto vestit se gramine tellus  
 153 et tibi sylva comas nutrit, tibi pabula surgunt ;  
 154 fecundus mites implet tibi pampinus uvas,  
 155 Palladis et nigrum tibi ducit bacca colorem ;

156 tum spisso quem rete trahant vel harundine longa,  
 157 flexivagus nostris crescit tibi piscis in undis.  
 158 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 159 Accipe quae tibi Parnasi de colle sorores  
 160 dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,  
 161 et plectrum, et citharam, scriptasque ab Apolline chartas,  
 162 aeternum quas ediscant celebrentque minores.  
 163 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 164 Accipe quae calathis porgunt tibi munera Nymphae,  
 165 luteolum calthae florem casiamque virentem,  
 166 liliaque violasque et purpureos hyacinthos.  
 167 Haud porxisse prius poterant : bella, horrida bella,  
 168 pertulimus, dulces et deformavimus agros.  
 169 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 170 Ut cum letiferos accendit Sirius ignes,  
 171 rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas ;  
 172 pallet humi nullo facies depicta colore,  
 173 ipsa suos sitiens fetus non educat arbos,  
 174 intereunt fruges siliqua labente perustae ;  
 175 arva colit nemo siccis arentia glebis,  
 176 vomeris et durum non admittentia dentem :  
 177 cuncta jacent nimio caeli contusa calore :  
 178 tristia sic nostris aderant prius omnia terris.  
 179 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 180 At postquam laetos effudit Juppiter imbres,  
 181 rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas ;  
 182 ipsa viret tellus, ripae collesque nitescunt.  
 183 Dant segetem sulci, nemus altas sufficit umbras ;  
 184 poma suos curvant crescentia pondere ramos ;  
 185 ruris turba Deam venerata ligonibus udam  
 186 vertit humum et putres exercet vomere campos.  
 187 Cuncta vigent caeli fecundis roribus aucta :  
 188 nostras sic jucunda manent nunc omnia terras.  
 189 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 190 At vos in septem discreti culmina montes,  
 191 tuque, pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo  
 192 devehis, hunc olim vobis multosque per annos  
 193 sic satis o tenuisse : meam mihi jam date partem.  
 194 Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola :  
 195 et tandem nostris juvenem concedite terris".

PRO GORYTIO VOTUM AD DEOS QUIBUS AEDICULAM EXAEDIFICAVERAT

C\_19 v.1 Sancta, quibus propriam posuit Gorytius aram,  
 2 numina, perpetuosque arae sacravit honores,  
 3 humani columen generis, divina puella,  
 4 ipse sibi legit summi quam rector Olympi,  
 5 et tu, divinae genitrix augusta puellae,  
 6 felix sorte tua, felix nata atque nepote,  
 7 aetereique puer magnum patris incrementum,  
 8 arte boni quos egregia caeloque Savini  
 9 spectari, Pario et spirare in marmore fecit :  
 10 hac vos pro pietate illi, pro munere tali  
 11 reddite, si sacrorum umquam pia carmina vatam  
 12 et castae movere preces caelestia corda,  
 13 reddite quae posco, mea nec sint irrita vota :

14 ut quos longa dies miseris mortalibus olim  
 15 advectat varios senio veniente labores,  
 16 aegrum animum et segnes effeto in corpore sensus,  
 17 inque solum pronos vultus nixisque bacillum  
 18 poplitibus, tardosque gradus tremebundaque membra,  
 19 tum crebras lachrymis causas, et dura suorum  
 20 funera et eversos mutata sorte penates,  
 21 quaeque alia ex aliis passim mala consternatas  
 22 implerunt terras cupidi post furta Promethei :  
 23 horum ille immunis totos centum expleat annos  
 24 auspiciis, Superi, vestris, et numine vestro  
 25 integer, ut nunc est, nec longae damna senectae  
 26 sentiat : et carus patriae, jucundus amicis,  
 27 dives opum, Roma incolumi Latioque fruatur.

#### HYMNUS AD DIVUM STEPHANUM

C\_20 v.1 Nam quae te culpae et sceleris tam dira cupido,  
 2 infelix Solime et saeculis damnanda futuris,  
 3 corripuit ? Tantas aut quis furor egit in iras ?  
 4 Ut juvenem patris aetherei praecepta canentem  
 5 dicta tibi et veterum reserantem oracula vatium  
 6 praestanti eloquio, teque ad meliora vocantem,  
 7 compita per mediasque vias e moenibus urbis  
 8 illusum expuleris ; tum caeca perdita mente  
 9 concursu pressum ingenti, saxisque petitum  
 10 nudatos artus, ceu quondam grandine densa  
 11 Juppiter ingeminans terram quatit aethere ab alto,  
 12 crudelis leto dederis nil tale merentem ?  
 13 Ille quidem placido sustollens lumina vultu  
 14 lustrabatque oculis caelum, intrepidusque pericli  
 15 laudabat superos, et spe sua damna levabat :  
 16 cui se, quantus erat, manifesta in luce videndum  
 17 ipse pater Divum dederat cum compare nato  
 18 sublimis, medioque illi fulgebat Olympo.  
 19 Quin etiam extremo cum jam sub fine laborum  
 20 disjectus duro frontem et cava tempora nimbo  
 21 iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis,  
 22 pro scelere immani moriens, pro talibus ausis  
 23 ah veniam superos anima fugiente rogabat :  
 24 placabat superos hosti jam frigida lingua.  
 25 Salve, bis senis lectus parere magistris,  
 26 macte animo, puer, egregio et praestantibus ausis,  
 27 macte nece, et veris magnum decus addite Divis.  
 28 Tu princeps ignominiam plagasque cruentas,  
 29 et longum memoranda nepotibus aspera fata  
 30 magnanimi post Herois, quem candida partu  
 31 caelicolum regi tecto sub paupere Nympha  
 32 non ullam venerem, nullos experta hymenaeos  
 33 ediderat patrii flavas Jordanis ad undas,  
 34 testis ades facti : sacro tu primus ab illis  
 35 sanguine palmiferae terram conspergis Idumes :  
 36 et pulchrae insolitos decerpens laudis honores,  
 37 purpurea gaudes frontem cinxisse corona :  
 38 unde tibi grati nomen dixere minores.  
 39 Te colimus : certo tibi tempore sacra quotannis

40 rite damus et thura tuis imponimus aris.  
 41 Quod si ulla o votisque hominum precibusque moventur  
 42 numina, nec cunctis adeo stat perdere Divis  
 43 Ausoniam populosque Italos nomenque Latinum,  
 44 atque malis prope jam confectae moenia Romae,  
 45 sancte, veni, coetusque tuos tuaque aurea templa,  
 46 laeti quae festa velamus fronde per urbes,  
 47 dexter adi, placidusque animis illabere nostris.  
 48 Ac primum miseris bellorum et caedis amorem  
 49 da, Pater, exuere et tercentum mittere in annos  
 50 Tigrimque Tanaimque ultra, et post ferre quietem  
 51 sollicitos populi fascas, adjectaque regnis  
 52 regna super, validoque undantia milite castra,  
 53 et pacem venerari et mitia vertere duris :  
 54 dein pestes scelerum tantorum, atque agmine longo  
 55 multa odii concreta modis mala semina diris,  
 56 infectasque diti labeas et crimina purga  
 57 heu solito graviora, irasque averte Deorum.

ARMILLA AUREA LUCRETIAE BORGIAE FERRARIAE DUCIS  
IN SERPENTIS EFFIGIEM FORMATA

C\_21 v.1 Dypsas eram : sum facta, Tago dum perluor, aurum  
 2 tortile Nympharum manibus decus : at memor olim  
 3 Eridani, auditaque tua, Lucretia, forma,  
 4 Heliadum ne te caperent electra tuarum,  
 5 gestandum charae fluvius transmisit alumnae.

DE IULIO PUERO QUI SE IPSUM PINXERAT IN TABULA

C\_22 v.1 Ut sol, cum placidis semet depingit in undis,  
 2 a te sic ipso picte puelle micas.

PEGASUS EQUUS PATERNUM INSIGNE

C\_23 v.1 Graecia cum celeres mihi Daedala fingeret alas,  
 2 esse, homines, vobis dixit in astra viam.

CUM CEREIS ALBIS DONO MISSIS BERNARDO MONACHO

C\_24 v.1 Vivat in Euganea reliquum tibi lumen oliva,  
 2 cera sed in sacris luceat alba tuis.

CAMINO INSCRIPTUM

C\_25 v.1 Hanc nisi Phoebeo rapuisset ab orbe Prometheus,  
 2 ars homini flammae nulla, nec usus erat.

## POLITIANI TUMULUS

C\_26 v.1 Duceret exstincto cum Mors Laurente triumphum  
 2 laetaque pullatis inveheretur equis,  
 3 respicit insano ferientem pollice chordas  
 4 viscera singultu concutiente virum.  
 5 Mirata est, tenuitque jugum : furit ipse pioque  
 6 Laurentem cunctos flagitat ore Deos.  
 7 Miscebat precibus lachrymas lachrymisque dolorem ;  
 8 verba ministrabat liberiora dolor.  
 9 Risit, et antiquae non immemor illa querelae,  
 10 Orphi Tartareae cum patuere viae,  
 11 "Hic etiam infernas tentat rescindere leges,  
 12 fertque suas, dixit, in mea jura manus".  
 13 Protinus et flentem percussit dura poetam,  
 14 rupit et in medio pectora docta sono.  
 15 Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,  
 16 arbiter Ausoniae, Politiane, lyrae.

## GALLI EPITAPHIUM

C\_27 v.1 O fatis nimium duris exercita Roma,  
 2 ten decuit toties ultima damna pati ?  
 3 Ille tuus sanguis Gallus, tua magna voluptas,  
 4 Gallus Aventini gloria prima soli,  
 5 Gallus Musarum et Phoebi gratissimus hospes,  
 6 donavit cithara quem pater ipse sua,  
 7 et cinxere Deae lauro et dixere poetam  
 8 Melpomeneque suum, Calliopeque suum ;  
 9 cui lex et bene suadus honos, rectique cupido,  
 10 et probitas cordi simplicitasque fuit.  
 11 Candida cui ridebat hianti copia cornu,  
 12 et faciles Nymphae semicaperque Deus ;  
 13 mater et incanos spicis evincta capillos  
 14 implebat laetis messibus arva Ceres ;  
 15 cui Nar sulfureus, nigra cui Farfarus unda,  
 16 et qui, Roma, tuas Fucinus auxit aquas,  
 17 atque Almo, atque Anio Tybrisque paterque Numicus  
 18 flumina jusserunt largius ire sua :  
 19 deliciae, mea Roma, tuae, lususque leporque,  
 20 et spes, et senii remus et aura tui,  
 21 Gallus, per quem oblita tuorum es ante malorum,  
 22 occidit : heu sine amore et sine lege Deos !

## IULII SECUNDI PONTIFICATUS MAXIMUS

C\_28 v.1 Illa piis populis mundoque accepta recenti,  
 2 sub Jove cum nondum ferreus orbis erat,  
 3 nec proscissa graves vertebant arva juveni,  
 4 vinea nec lachrymas falce resecta dabat,  
 5 mella sed aeriae sudabant roscida sylvae,  
 6 et lac pro gelida flumen habebat aqua.

7 Nunc o nunc redit ad primos bona quercus honores,  
 8 quos habuit, mundi cum tener orbis erat ;  
 9 quercus, glande sua quae quondam Heroas alebat,  
 10 cura Deum quercus sancta piūque nemus,  
 11 dignaque Cecropiae pinguis cui sylva Minervae  
 12 cedat, et Herculeis populus apta comis ;  
 13 cedat et ipsa suo laurus Phoebēia luco,  
 14 inflexaeque pedem Bacchica sēta hederāe,  
 15 vel myrti Veneris, vel Sylvani cyparissi,  
 16 vel quae capripedi pinus amata Deo est.  
 17 Namque boni mores nostro rediere sub aevo,  
 18 ut primum posito constitit illa situ :  
 19 simplicitasque inculta comam, rectique cupido,  
 20 et lex et probitas et sine labe fides.  
 21 Nec redit ad primos tantum bona quercus honores,  
 22 quos habuit mundi cum tener orbis erat :  
 23 sed propecta solo nitidis caput inserit astris,  
 24 quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

#### CAROLI BEMBI FRATRIS EPITAPHIUM

C\_29 v.1 Qualis honos caeli, puro cum surgit Olympo  
 2 Lucifer et fessis clarum caput exerit astris :  
 3 tale decus te, Bembe, tuis mala fata tulerunt.

#### HERCULIS STROZZAE EPITAPHIUM

C\_30 v.1 Te ripa natum Eridani Permessus alebat,  
 2 fecerat et vatem Marsque Venusque suum.  
 3 Injecere manus juveni et fatalia duris  
 4 stamina pollicibus persecuere Deae.  
 5 Uxor honorata manes dum conderet urna,  
 6 talia cum multis dicta dedit lachrymis :  
 7 "Non potui tecum dulcem consumere vitam :  
 8 at jam adero amplexans te cinerem ipsa cinis".

#### MARCI ANTONII GABRIELIS VENETI EPITAPHIUM

C\_31 v.1 Demessam patriae segetem crescentibus herbis  
 2 morte tua, venerande puer, specimenque relinquis  
 3 praereptum genti morum et virtutis avitae.  
 4 Te Patavi colles, vitrea te Silis in unda,  
 5 te Veneti flevere lacus, terque Hadria vastum  
 6 implevit gemitu maerens et questibus aequor.

#### PHILIPPI BEROALDI MINORIS EPITAPHIUM

C\_32 v.1 Felsina te genuit, colles rapuere Quirini,  
 2 longum audita quibus Musa diserta tua est.  
 3 Illa dedit rerum domino placuisse Leoni,

4           Thebanos Latio dum canis ore modos.  
 5       Unanimes raptum ante diem flevere sodales,  
 6           nec Decimo sanctae non maduere genae.  
 7       Quae pietas, Beroalde, fuit tua, credere verum est  
 8           carmina nunc caeli te canere ad citharam.

#### SCYTHAE POETAE FELTRINI EPITAPHIUM

C\_33    v.1       Scythae oculos clausit Phoebus : flevere sorores,  
           2       fleverunt Charites, funera duxit Amor.

#### CERTALDI PHILOSOPHI EPITAPHIUM

C\_34    v.1       Et terram et caelum ingenio Certaldus obibam,  
           2       quaeque fuere aliis clausa, reclusa mihi.

#### LONGOLII EPITAPHIUM

C\_35    v.1       Te juvenem rapuere Deae fatalia nentes  
           2       stamina, cum scirent moriturum tempore nullo,  
           3       Longoli, tibi si canos seniumque dedissent.

#### LEONICI EPITAPHIUM

C\_36    v.1       Naturae si quid rerum te forte latebat,  
           2       id legis in magno nunc, Leonice, Deo.

#### TELESILLAE EPITAPHIUM

C\_37    v.1       Quid mors tam pulchram rapuisti dura puellam ?  
           2       Numquid, me miserum, te quoque tangit amor ?

#### CATELLI EPITAPHIUM

C\_38    v.1       Nil tibi non dominus tribuit, Bembine catelle,  
           2       a quo nomen habes, et tumulum et lachrymas.

#### FICTUM PRO ANTIQUO

C\_39    v.1       Aelia natorum manesque secuta mariti,  
           2       usa sua jacet hic Septimiana manu.  
           3       Vir Turrinus erat, cum quo tria lustra peregit,  
           4       jurgiaque in sancto nulla fuere toro.



5 Binaque de primo suscepit pignora partu,  
 6 dein natam matris spemque metumque suae.  
 7 Crudeles Divi, proles adoleverat, at mors  
 8 injecit tetricas perviolenta manus.  
 9 Post quae maerentem, ne quid superesset amanti,  
 10 abstulit orbatae proxima luna virum :  
 11 quem simul ac flamma vidit lambente cremari,  
 12 "Ergo ibis, tecum nec tua, dixit, erit ?  
 13 Eripies mihi tu numquam hoc, fortuna : licebit  
 14 hoc saltem invita te potuisse mihi".  
 15 Dixerat, et stricto fixit sua pectora ferro :  
 16 sic moriens caro nunc quoque juncta viro est.

IACOBI SYNCERI SANNAZARI EPITAPHIUM

C\_40 v.1 Da sacro cineri flores : hic ille Maroni  
 2 Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

LUCILII BEMBI FILII EPITAPHIUM

C\_41 v.1 O multum dilecte puer, quae dura parenti  
 2 Fortuna invidit te superesse tuo ?  
 3 Quam producebam laetus te sospite vitam,  
 4 erepto peyor morte relicta mihi est.